

# Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 185

Omnibus sancte Dei ecclesie rectoribus atque cultoribus tam futuris quam modo viventibus, notum fieri volumus quod Girardus de Monte folluto concessit monachis Sancti Martini Maioris Monasterii, de feodo suo circum Fractam Vallem, ex ista parte silve Lognie, quicquid emerant vel empturi erant, excepto feodo Huberti Megnonis filii, quem feodum Guillelmus de Vilers de ipso Huberto Megnonis filio tenet, et excepto feodo Guillelmi Frodonis filii qui feodus est ad dstricta Guignardi, et ex altera parte silve Lognie concessit similiter Sarmasiam. Hoc quoque concessit filius suus Gaufridus nomine, qui XII denarios ex ista concessione habuit, et Radegundis filia sua similiter hoc concessit, que V solidos ex ista concessione habuit. Concessit hoc etiam Juliana filia sua, que ex ista concessione XII denarios habuit. Ipse vero Girardus de Monte folluto, qui pro remedio sue anime et pro animabus antecessorum suorum omnia ista concessit, de caritate sancti Martini C. solidos pro concessione ista habuit; huius itaque concessionis testes sunt: Ex parte Girardi – Otgerius qui fuit armiger suus – Odo qui fuit pahagerius suus de Fracta valle – Arnaldus de Papla villa – Hubertus de Bergoano – Benedictus de Vulureio – Bernardus de Villa-avis – Raginaldus de Spieriis – Herveus Grivellus – Nivelus Garini filius – Odo Morellus. Ex parte quidem monachorum: Ingelricus maior – Ainardus cellararius – Tetbaldus de Nantuvilla – Haimarus famulus – Hugo Darematus – Frogerius carnifex – Bernardus de Carchehu – Tetbaldus Pelatus – Hubertus carpentarius – Lembertus clericus.